# Aeneid 4 279-295

at vērō Aenēās aspectū obmūtuit āmēns,
arrēctaeque horrōre comae et vōx faucibus haesit.
ārdet abīre fugā dulcēsque relinquere terrās,
attonitus tantō monitū imperiōque deōrum.
heu quid agat? quō nunc rēgīnam ambīre furentem
audeat adfātū? quae prīma exōrdia sūmat?
atque animum nunc hūc celerem nunc dīvidit illūc
in partēsque rapit variās perque omnia versat.
haec alternantī potior sententia vīsa est:
Mnēsthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,
classem aptent tacitī sociōsque ad lītora cōgant,
arma parent et quae rēbus sit causa novandīs
dissimulent; sēsē intereā, quandō optima Dīdō
nesciat et tantōs rumpī non spēret amōrēs,
temptātūrum aditūs et quae mollissima fandī
tempora, quis rēbus dexter modus. ōcius omnēs
imperiō laetī pārent et iussa facessunt.